



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 4. Appendix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

ligeret, ait: *faciamus hominem ad imaginem &c.* Gen. 1. 26. S. Laurent. Just. de discipl. monast. convers. c. 11.

Ludens coram eo omni tempore. &c. Prov. 8. 30. *Ludens*: quia creationem, conservationem, propagationem, & gubernationem, tam facile, & jucundè, peregi, ac perago; acsi luderem. Porrò lusum hunc perago maxime in orbe; ubi continuò produco nova animalia, pisces, aves &c. Sed tamen *delicia mea, esse cum filiis hominum*. q. d. in aliis ludo; sed cum hominibus delictior, præsertim in templo. Unde Deus templum vocat suam voluptatem, juxta Pf. 26. 4. *ut videam voluptatem Domini.* Cornelius hic.

Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Luc. 1. 37. Hebr. *non erit impossibile apud Deum omnis res.* Et licet idem sit sensus cum nostra Vulgata, ipsa tamen melius retinet: *non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Rationem dat S. Bernardus hom. 4. sup. Miss. non ait Angelus, omne factum; sed omne verbum. An idcirco posuit verbum, quia quàm facile possunt homines loqui, quod volunt, etiam quod nullatenus possunt; tam facile, imò incomparabiliter facilius, valet Deus opere complere, quidquid illi valeat verbò exprimerè. Sylveira hic.

Universum Deus, simul ut cogitavit, perficit id, quod cogitavit; & simul ac voluit, & cogitat hoc, quod voluit; tunc cogitans, cum vult; & tunc volens, quod cogitat: cum sit totus cogitatus, & totus sensus, & totus oculus, & totus auditus, & totus fons omnium bonorum. S. Irenæus l. 1. Adv. hæres. c. 6.

Ignis naturali motu in altum ferri consuevit, quemadmodum aqua fluxu deorsum vergente labitur. Nec possibile est, aquam, ut à montis radice exorta, cacumen versùs sursum feratur, dirigere; vel igni flammam suam deorsum emittat, persuadere. Creatori autem facilia factu sunt omnia. Equidem solem, & lunam, unà cum toto illo stellarum cœtu, cœlo terga vertisse, & radios suos deorsum emittere, videmus. Similiter & aquarum naturam, cum fluida, & fluxa, sit, sublimem tamen in altum subvehit idem opifex; & eximis Mundi partibus in altum subductam, mediam inter cœlum, & terram, extendens constituit, B. Theodoretus de provid. Dei l. 1.

§. III.

Potentiâ suâ utitur Deus in bonum.

Et erant valde bona. Gen. 1. 31. Bene omnia fecit, qui primam creationem aspiciens, cuncta, quæ fecerat, *erant valde bona.* Nescit ab ista potentia, præterquam bonum, egredi; sed ipsa creatura se trajicit in vitium. Sim. Cass. l. 5. c. 25.

Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine. Pf. 88. 9. Unde hoc colligis vates sanctæ? *Tu, ait, dominaris potestati maris; motum autem fluctuum ejus tu mitigas.* v. 10. Audin? potentior Deus habetur cæteris; non quòd ciere possit maris fluctus; sed quòd comprimere, & cohibere illos, soleat: sedare, non excitare, tempestates, indicium est omnipotentia. Olival. 12. Strom. §. Domine Deus &c.

Domine, si vis, potes me mundare. Matth. 8. 2. Non aptè leprosus de voluntate Domini dubitat, qui sanandi potentiam profiteretur. Potest mundare? ergo vult, si ab homine obstaculum non fuerit positum. Seneca. 4. de benef. c. 26. de Deo: aequali tenore bona sua pergentes, populosque, distribuit; unam sortitus potentiam, prodesse. Philo de migrat. Abrah. liquet, apud Deum esse potentiam, quæ ad opem nobis ferendam excubat, Escobar t. 1. mir. Chr. l. 4. Sect. 1. Obl. 3.

Scio, cui credidi; & certus sum, quia potens est depositum meum servare in illum diem. 2. Tim. 1. 12. quodnam illud depositum? Ambros. propriam salutem. Anselm, bona opera, cum spe æternæ remunerationis facta. Chrysost. ipsos Fideles. Cur non dixit: potens est servare, & vult servare? superfluum esset. Escobar. ib.

Divinam potentiam evidentius nihil manifestat, quàm justificare impium. Idiota lib. 3. contempl. c. 1.

§. IV.

Appendix.

Omnipotentiæ divinæ majestas cuncta potestatis suæ immensitate concludit; nec evadendi potentiam ejus quisquam aditum invenire poterit: quia ille omnia circumquaque constringit. S. Isidorus. l. 1. sentent. c. 2.

